BIBLIA LATINA

Klosterneuburg, um 1310/1315 Seite 316v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

laudem et gloriam et honorem in revela
tione Ihesu Christi. Quem cum non vide
ritis diligitis: in quem nunc quoque
non videntes creditis: credentes autem
exultabitis letitia inenarrabili et glo
rificata. reportantes finem fidei vestre
salutem animarum vestrarum. De qua salu
te exquisierunt atque scrutati sunt prophete.
qui de futura in vobis gratia prophetaverunt:
scrutantes quod vel quale tempus signi
ficaret in eis spiritus Christi. prenuntians eas
que in Christo sunt passiones et posteri
ores glorias. Quibus revelatum est quia
non sibi ipsis. vobis autem ministrabant
ea que nunc nuntiata sunt vobis. per
eos qui evangelizaverunt vobis spiritu sancto
misso de celo: in quem desiderant angeli
prospicere. Propter quod succincti lumbos
mentis vestre. sobrii et perfecti. sperate in
eam que vobis offertur gratiam in reve
latione Ihesu Christi quasi filii obedien
tie. non configurati prioribus ignoran
tie vestre desideriis: sed secundum eum qui vo
cavit vos sanctum. ut et ipsi sancti in omni con
versatione sitis. quoniam scriptum est. Sancti
eritis. quia ego sanctus sum. Et si patrem
invocatis eum qui sine acceptione per
sonarum iudicat. secundum uniuscuiusque
opus: in timore incolatus vestri tempore con
versamini: scientes quod non corrupti
bilibus argento vel auro redempti estis
de vana vestra conversatione paterne
traditionis: sed precioso sanguine quasi
agni incontaminati et immaculati
Ihesu Christi. precogniti quidem ante mundi
constitutionem. manifestati autem no
vissimis temporibus propter vos qui per
ipsum fideles estis in deo. qui suscitavit
eum a mortuis. et dedit ei gloriam: ut
fides vestra et spes esset in deo. Animas
vestras castificantes in obedientia cari
tatis. in fraternitatis amore. simpli
ci ex corde invicem diligite attentius:
renati non ex semine corruptibili
sed incorruptibili: per verbum dei vivi
et permanentis in eternum: quia omnis
caro fenum. et omnis gloria eius tamquam
flos feni. Exaruit fenum et flos eius
decidit: verbum autem domini manet in
eternum. Hoc est autem verbum quod
evangelizatum est in vos. II.
Deponentes igitur omnem mali
tiam. et omnem dolum. et si
mulationes. et invidias. et
omnes detractiones. sicut modo geniti
infantes rationabiles. sine dolo lac
concupiscite. ut in eo crescatis in salutem:
si tamen gustastis quoniam dulcis est dominus.
Ad quem accedentes lapidem vivum ab
hominibus quidem reprobatum. a deo autem
electum et honorificatum: et ipsi tamquam
lapides vivi superedificamini domus
spiritales: sacerdotium sanctum offerre spi
rituales hostias. acceptabiles deo per
Ihesum Christum. Propter quod continet scrip
tura. Ecce ponam in Syon lapidem
summum angularem. electum. preciosum:
et qui crediderit in eum non confundetur.
Vobis igitur honor credentibus: non
credentibus autem lapis quem reprobaverunt
edificantes. hic factus est in caput angu
li. et lapis offensionis. et petra scan
dali. his qui offendunt verbo. nec cre
dunt in quo et positi sunt. Vos au
tem estis genus electum. regale sacer
dotium. gens sancta. populus acquisitionis:
ut virtutes eius annuntietis qui de te
nebris vos vocavit in admirabile lu
men suum. Qui aliquando non populus:
nunc autem populus dei. Qui non consecuti
misericordiam: nunc autem misericordiam consecuti.
Karissimi: obsecro vos tamquam advenas